



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

12. Constantis fidei &c. Erectio Congregationis Gubernio Civitatis Firman.
præpositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

nisi originariis Civibus Romanis, ac Civium eorundem filiis conferantur, quodque nonnullarum Ecclesiarum Beneficia, nisi per Personas illustres, vel nobiles, ac etiam originarios Cives, aut alias certo modo in illis expresso qualificatos obtineri non possint, & nulli in Cives Urbis, ac Civitatum, Oppidorum, & Terrarum, & locorum hujusmodi admitti, seu illorum privilegiis uti possint, nisi prius in dictis Civitatibus, Oppidis, Terris, & Locis per certum tempus habitaverint, seu etiam in illis bona etiam stabilia forsan ad certum valorem ascendente possederint, quodque Præceptoræ, & alia Beneficia quæcumque dicti Hospitalis tam ex ejus institutione, quàm ex stabilimentorum prædictorum dispositione pensionibus Clericis secularibus, & aliis personis, etiam Apostolicâ auctoritate reservandis gravari non possint, quodque stabilimentis, ac privilegiis prædictis, etiam vigore implicitæ derogationis latissimè extendendæ, etiam per quascunque Litteras Apostolicas, & quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, efficatorias, & insolitas clausulas derogari non possit, nec derogatum censetur, nisi derogatio hujusmodi de Consilio Cardinalium eorundem fiat, & tum demùm Magistri, & Conventus prædictorum ad id accedat assensus, sintque Litteræ derogationis hujusmodi etiam per dictum Magistrum subscriptæ, ac illi, & præfato Conventui per diversas in forma Brevis, aut alias Litteras diversis temporibus cum certis intervallis præsentatas intimatæ, & non aliàs, nec alio modo, & semper in omnibus, quæ sic fiunt etiam de simili consilio derogationibus sit apposita clausula, quod illarum effectum fortiantur de consensu Magistri, & Conventus prædictorum, & non aliàs, nec alio modo; quodque ipsi Exactores, & Appallatores decimas, pedagia, & onera hujusmodi etiam ab exemptis exigere, & illos ad solutionem, seu contributionem cogere, & compellere possint, seu debeant. Quibus omnibus, illorum omnium tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, hæc vice dumtaxat in genere, & in specie, ad effectum præsentium sufficienter, & expressè derogamus, ac derogatum esse decernimus. Quodque vos primam non feceritis in Ecclesiis hujusmodi personalem residentiam consuetam, cæterisque contrariis quibuscunque.

§. 18. Volumus autem, quod antequam gratiæ creationis in Nostros, & Sedis Apostolicæ Notarios vobis, ut supra factâ perfrui valeatis, in manibus alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ professionem fidei juxta articulos pridem à Sede prædictâ propositos expressè emittere, & solitum fidelitatis juramentum præstare omninò teneamini.

§. 19. Quodque præsentium transfumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur in judicio, & extrâ, quæ adhibetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 20. Cæterùm volumus pariter, atque decernimus, ut illis ex vobis, quibus similes testandi de bonis, ac pensiones transferendi facultates à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostri, quorum respectivè etiam familiares, continui commensales erant, concessæ fuerunt, præsentis Litteræ quoad facultates testandi de bonis, & transferendi pensiones hujusmodi minimè suffragentur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anno Piscatoris die 27. Novembris 1691. Pontificatus Nostri Anno Primo.

J. Franciscus Card. Albanus.

Erectio Congregationis Gubernio Civitatis Firmanæ præpositæ.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Constantis fidei, & sinceræ devotionis affectus, quem Dilecti Filii Communitas, & Homines Civitatis Nostræ Firmanæ erga Nos, & hanc Sanctam Sedem gerere comprobantur, promeretur, ut eorum felici, prosperoque regimini, quantum cum Domino possumus, peculiari paternæ Charitatis studio consulamus.

§. 1. Cum itaque Nos aliàs, nempe in ipsis Pontificatus Nostri primordiis, justis ex causis animum Nostrum moventibus adducti pro d. Civitatis Firmanæ Gubernio Dilectum Filium Nostrum Fabricium S. R. E. Cardinalem Spadam nuncupatum Secretarium Nostrum Status, ac nonnullos Romanæ Curie Prælatos prudentiâ, doctrinâ, integritate, & rerum usu eximie præditos deputaverimus: Hi verò subinde, prout rerum, & negotiorum momenta postulabant, insimul convenientes demandatam sibi à Nobis Provinciam rectè, & fideliter, atque ex animi Nostri sententia hætenus administraverint: Idcirco sperantes in Domino, sub eorum prudenti, ac salubri directione Civitatem Firmanam præfatam in futurum quoque optatos pacis, tranquillitatis, & justitiæ fructus suscepturam esse, Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Congregationem memoratorum Fabricii Cardinalis, ac Prælatorum à Nobis, ut præfatur, deputatorum, aliorumque in futurum deputandorum pro Civitatis Firmanæ hujusmodi, ac Civium, & Incolarum, nec non Territorii, & Districtus, totiusque Comitatus, ac Castrorum, & locorum ejusdem gubernio, tenore præsentium ad Nostrum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum erigimus, & instituiamus.

§. 2. Ac ipsi Congregationi sic erectæ, & institutæ, ut quoad gubernium hujusmodi omnibus, & singulis facultatibus, jurisdictionibus, & indultis, quæ quoad universum statum Nostrum Ecclesiasticum tam per fel. rec. Sixtum Papam V. quàm alios quoscunque Romanos Pontifices Prædecessores Nostros Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium super Consulta-tionibus negotiorum Status Ecclesiastici hujusmodi deputatæ quomodolibet, & qualitercumque concessa, & attributa fuerunt, pari modo, & absque ullâ prorsus differentiâ uti, frui, & gaudere liberè, & licitè possit & valeat, harum serie concedimus, & indulgemus.

§. 3. Decernentes easdem præsentis Litteras firmas, validas, & efficaces existere & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam substantiali, & formali, ac incogitato, & inexcogitabili, necessariamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos Juris reduci ullo modo unquam posse; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentiâ, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

XII.

Exordium fidelitatis.

Deputatio præcedenter facta D. Cardinalis, & Prælatorum gubernii Firmi erigitur in Congregationem.

Congregatio habet eandem facultates, quas Sixtus V. concessit Congregationi Status Ecclesiastici.

Clausula præservativa.

Clausula sublata.

Adimplenda ante sumptionem Notariatus.

Transumptorum fides.

Indultæ testandi, ac pensiones transferendi non suffragantur, qui aliàs obtinuerunt.

P. A. primo 27. Novembris 1691.

Derogatio
contrariis.

§. 4. Non obstan. quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariae Apostolicae Regula de Jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non, quatenus itidem opus sit, dictae Civitatis Firman. aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, quibusvis Personis, & locis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis, etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & in solitis Clausulis, irritantibusque, & aliis Decretis in genere, vel in specie, seu alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, confirmatis, & pluries innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi praesentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

P.A. primo die 3. Januarii 1692.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die tertia Januarii 1692. Pontificatus Nostri Anno Primo.

XIII.

Concessio facultatis conferendi gradus Scholasticos pro Collegio sub tit. S. Antonii Abbatis Civitatis Cuscan. in Indiis occidentalibus.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Exordium

Aeternae Sapientiae consilio ad Ecclesiae Catholicae per Universum Terrarum Orbem diffusae regimen, meritis licet imparibus, evedti, laudabilibus eorum Studiis, per quae Christi fidelium praesertim in remotissimis ab hac Sancta Sede partibus degentium, in doctrina sana institutioni, atque eruditioni consulitur, peculiarem pastoralis muneris Nostri sollicitudinem, cum a Nobis petitur, & Reges Orthodoxi magnis in Ecclesiam Dei meritis fulgentes vota sua in id dirigunt, libenti animo adhibemus, sicut omnibus maturè perpensis conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Exoptatur ab Hispaniarum Rege pro Collegio Civitatis Cuscan. facultas conferendi gradus infra scriptos.

§. 1. Nuper siquidem pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici Nobis per Dilectum Filium Nobilem virum Modernum Ducem de Medina Caeli ipsius Caroli Regis apud Nos, & Sedem Apostolicam Oratorem expositum fuit, quod cum in Civitate Cuscan. in Indiis Occidentalibus jam inde ab anno 1592. erectum reperitur sub invocatione, seu titulo Sancti Antonii Abbatis unum Collegium, seu Seminarium Ecclesiasticum de Jure patronatus praedicti Caroli Regis existens, quinque Cathedras Regiae impensa fundatas habens, tres videlicet Philosophiae, & duas Sacrae Theologiae, quae Collegialibus ipsius Collegii per concursum conferuntur, atque ad idem Collegium Nobiliores illarum partium juvenes studiorum causa se conferant; degantque in eo eorum plerumque Collegiales, qui praeter bonarum litterarum studia, quibus ibidem operam navant, Cathedrali Ecclesiae Cuscan. debitis temporibus inserviunt, nec non inde viri Sacris Missionibus, Curae Animarum, ac Servitio Ecclesiae valde utiles, & fructuosi prodierint, id verò unum eidem Collegio deesse videatur,

quod ejus Collegiales supradicti, seu alii illius Scholares studiosis suis laboribus peractis, graduum litterariorum praemium consequi nequeunt, eò quia Universitas Studii Generalis Limana quingentis circiter miliaribus à dicta Civitate Cuscan. distat, nec illi in alio Collegio Sancti Bernardi Cuscan. quod à Clericis Regularibus Societatis Jesu regitur, & in quo caeteroqui examen eorum, qui subinde ad gradus Scholasticos per Episcopum Cuscan. promovendi sunt, habetur, examini hujusmodi se subjicere valent, propter differentiam Scholarum, quandoquidem Collegiales Collegii Sancti Antonii hujusmodi, quod alias antiquius existit, & praerogativa praecedentia super Collegium Sancti Bernardi supradictum fruitur, à primæva Institutione in eorum primo ingressu ad sequendam doctrinam Sancti Thomae Aquinatis juramento se adstringunt, illique incumbunt; ipse Carolus Rex pro tempore eiusdem Collegialibus, seu aliis Scholaribus Collegii Sancti Antonii hujusmodi à Nobis indulgeri, ut absolutis studiis, & praevio examine per Cathedraliticos Conventus Sancti Dominici dictae Civitatis Cuscan. Ordinis Fratrum Praedicatorum, attentà doctrinae confessione, faciendo, Baccalaureatus, Licentiatuæ, Magisterii, & Doctoratus in Philosophia, & Sacra Theologia gradus à pro tempore existente Episcopo Cuscan., Ecclesiae vero Cuscan. Sede Episcopali vacante, à Capitulo illius Ecclesiae in Conventu supradicto suscipere valeant. Nobis propterea memorati Caroli Regis nomine humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Ejusdem facultatis concessio.

§. 2. Nos igitur piis ejusdem Caroli Regis votis hac in re, quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositorum consilio, Episcopo Cuscan., sive ejus Vicario in Spiritualibus Generali, cum vero Ecclesiam Cuscan. vacare contingerit, Vicario Capitulari Ecclesiae hujusmodi illius Sede Episcopali vacante legitime deputato, respectivè pro tempore existentibus, donec, & quousque publica Universitas in dicta Civitate Cuscan. erigatur, illis ex Collegialibus, seu aliis Scholaribus Collegii Sancti Antonii supradicti, qui peracto studiorum curriculo, ac praevio examine non modo ab ipsius Collegii Sancti Antonii, sed etiam memorati Conventus Sancti Dominici Cathedralitico faciendo, habiles & idonei reperti fuerint, Baccalaureatus, Licentiatuæ, ac Doctoratus, & Magisterii in Philosophia, & sacra Theologia hujusmodi gradus, servatà tamen in omnibus, & per omnia forma Decretorum Viennensis, & Tridentini Conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus, auctoritate Nostra Apostolica conferendi facultatem eadem auctoritate tenore praesentium concedimus, & impartimur. Locum verò, in quo graduum hujusmodi collatio faciendà erit, Episcopi, & Vicarii Capitularis praefatorum arbitrio respectivè remittimus; Salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Decreta pro firmitate.

§. 3. Decementes ipsas praesentes Litteras firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per omnia plenissimè suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam Casarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis, quibusvis personis in contrarium praemissorum

missorum